

Carmen lugubre, ortum
vitam et obitum, ... dn.
Jodoci Schultz, inclitæ
civi...

Forsselius, Laurentius Jonæ,

1 Ic 1677 Schultz, Jost




13
32
CARMEN LUGUBRE,
MORTUUM VITAM ET OBITUM,

VIRI
MAXIME CONSPICUI,

DN. JODOCI Schultz

Inclitæ civitatis Aboënsis, in Magno Ducatu Finlandiæ, Civis & Negotiatoris Spectatissimi, nunc apud Superos beatissimi, adumbrans:

Qui, animam ex mundani corporis domicilio ad florentissima sedium æternarum palatia transmittens, piè ac placidè, haud secus ac molli correptus somno, in Domino obdormivit A. 1677. d. 28. Octob. postquam in hâc miseriarum palæstrâ annos sexaginta unum, mensesq; undecim decertasset; Et corpus, quod terræ debebatur, d. 9. Decemb. ejusdem anni, honorifico funere ac prosequentium magno marore, in templo Cathedrali inferendum tumulo, reliquisset, ubi gloriosam resurrectionem in novissimo die, cum omibus sanctis, indubitatò expectat.



Piissimè defuncti memorie, filiorumq; ac consanguineorum hunc inopinatum casum acerbè lugentium solatio, festinantè scripsit

LAURENTIUS JONÆ FORSSELIUS.

W-Gothiâ Gotheb. S. R. M. Alumnus.

ABO Æ, Excusum à PETRO HANSONIO, Acad. Typogr.

132
1677
1677



88
Ntonat horritono *Mars* dirus in orbe
tumultu;

Nec minus infestâ *Mors* rotat arma
manu!

Mars ubi, *Mors* ubi! Conjungunt fera signa furore
Alterno; Rabie sævit uterque gravi!

Immodico vastum convellunt funere mundum;
Cunctaq; terribili cæde calescit humus.

Martem *Mors* tamen atra terit, spoliare sagittis.

Sustinet, ac mæstum cogit adire jugum.

Fulminat *Ille* foris; furit *Hæc* bellique domique;

Ensifer agricolis annumeratus obit!

Hæc Dea sanguineo converrit funera planctu;

Flectendi iratam nullus in orbe locus!

Tela diu lethi violentaque nuncia misit

Undique; ceu perhibent *Oppida, Regna, Lares!*

Externas memorem clades? longinqua doloris

Semina quid referam? *Svecia* nostra jacet

Heu! lacrimis imbuta suis, concussa periclis

Innumeris; sensim funera clara videt!

Fennia, pars *Sveonum* regni lectissima, *Martis*

Vim licet effugias, spicula *Mortis* adis!

Tetrica nam tristes acies *Mors* pace iagoque

Ordinat, & triplices trudit ad arma Deas!

Coetera præteream; Sola hæc vel *Abdæ* probabit,

Functorum assiduis contemnerata rogis!

Hic.

Hic geminat carmen præsertim flebile præstans
Heu! *Schultena domus*, funere quassa *Patris!*
Terrenis etenim valedixerat Ille IODOCUS
Schultius, Abodici portio grata soli!
Primam currigeræ lucem tulit Ille LUBECE, A. C. 1615.
d. 6. Nov.
Quæ manet urbs Codani fama decusque freti.
Ille recens nostræ vitali redditus auræ,
Sordibus innatis ritè piandus erat:
Quocirca extemplo, mandant ut iussa Tonantis,
Viviscit sacris Ille renatus aquis;
Fœdera cum Christo nunquam rumpenda potenti
Juncturus, cepit signa cruenta crucis.
Nomen IODOCI Puero dedit alma lavacri
Vis; erat hoc faustum Nomen & Omen Ei!
Inde statim sapido lactatur ab ubere mammæ,
Quem fovet in calido *Mater amata* sinu.
Succum *Progenies* suxit pietatis amænum;
In teneroque Dei semina lacte bibit,
Quando proinde *Puer* lustrum compleverat unum,
Verbaque distincto possit habere sono;
Protinus Hunc placido pia cura paterna magistro
Tradidit, ut *Nati* tingeret arte caput.
Ingenium *Pueri* felix Elementa capesit
Prima; datur formæ litera quæque suæ.
Post, ubi visa fuit studiis majoribus ætas
A prior, invisit pulpita sacra scholæ.

Hâc, *puerile decus!* Clariâ ludabat arenâ
Fortiter, ut dites tolleret artis opes!
Tantraque sedulitas rudibus lucebat in armis,
Ut *Puer Hic* visus vincere posse viros!
Accelerant anni; juveniles surgit in auras,
Spes erat ingenii magna, *JODOCE*, tui!
Verum, olim ut *Natura* sagax discreverat omnes
Res, & eas variis deputat arte locis:
Nescit enim *Natura* modis errare solutis;
Fertur & ingenium cuique dedisse suum,
Spernit opes alius; multos amor urget habendi;
Nonnemo hoc renuit, quod tamen alter amat!
Mens hominis varios formata vagatur in usus,
Interea proprium consequitur genium.
Sic quoque *Naturam Hic* scitè scrutatur, an esset
Istius aut hujus muneris illa capax.
Ut vider *Aonias* facilè haud se posse per artes
Ferre cupita sibi nomina, quanta cupit,
Mox animum prudens studium convertit ad illud,
Cui vires pariles culta *Minerva* dedit.
Confestim numeros, quèis docta *Logistica* claret,
Adgreditur, Superùm ritè precatus opem.
Hæc capit ars animum Numerorū gnara sagacem;
Hic natura favens, quod cupit, en! reperit!
Corripit *Ille* stylum scriptoris & arma: colores
Miraturque graves litera arata plicas!

Haud

Haud mora! Continuo varios solertia vultus
Induit, eximium carpit ubique decus.
Litera quæque nitet: Numerorum *Summa* redibat
Explorata probè: Charraq; docta stupet!
Nunc ætas annos, artemque *Logistica* plenam
Exhibuit, *Juvenem* nobilitatque pium!
Jam felix conatus ovat: *Juvenemque* vocabat
Ars perfecta aliò, quò pia fata trahunt,
Deinde, ut fida jubent *charorum* vota *parentum*,
Mercibus investis tempora prima locat,
Impiger invigilat rebus *Mercator* honestis,
Offertur licito vita futura lucro.
Fortè *Virum* Aboicas fors provida vexit ad arces,
Continuoque homini *Finnica* rura placent!
Confedit felix, heic figitur anchora rerum, *A. C. 1636.*
Arridet nunquam visaque terra prius!
Cumque pium ante *Ejus* possedit Abogia fratrem,
Hujus ad exiguum temporis hospes erat.
Post, ubi tractaret propriâ sua commoda merce,
Perpetuo cupidè gestit inesse Lari.
Prospiciturque opibus, quas tunc collegit, opimis
Lecta taberna, nitens prospiciturque domus.
Jam fortuna *Viro* spatiosos fida penates
Contulit, ac plures struxit amica focos,
Is tamen unus erat, curasque vorabat amaras,
Quas trahit instructi sollicitudo Laris.



Exoptat *thalami* sociam, sociamque laborum;
Ut svadent sancti calica scita Dei.
Nec mora! mellifluo veniens MAGDLENA pudore
Conjugii lepido concitat ore faces! A. C. 1649.
Ecce, superba dies *Tedas* celebrasse jugales d. 1. Nov.
Dicitur, & multo perstrepuisse mero!
Ecce, Hymenæus ovat! Post nomina sveta leguntur;
Jam *Sponsa* est *Uxor*, *Sponse* *Maritus* ades!
Illa novos *thalamos* fœcundis prolibus ornat;
Hec facit, ut vocitet turba pusilla patrem!
Lata diu peragunt *Neonymphæ* tempora; Christo
Conjugium hoc multas sacrificabat oves!
Verum, ut cuncta vices subeunt mundana fugaces,
Præterit & quicquid continet orbis iter;
Sic fugiant *Illis* heu! gaudia tanta, citoque
Pulsabat tutas *Mors* inopina fores.
Perfida nam miseræ, si quid sit amabile terræ,
Eripit, ac tristi funere lata necat.
Morte perit *Conjux* solidum *Laris* ornamentum, A. C. 1667.
Quæ liquit viduo maxima damna thoro! d. 25. Jan.
O dolor! O medio spoliatus corde *Maritus*
Ingemit, heu, lacrimis immaduere genæ!
Heu gemit! attonitis trepidant quoque luctibus ora,
Magnaque tristitiæ semina mente latent!
Intereâ *maestas*, dum currunt ordine menses
Ostodecim, solus tempora dira terit:
Inde, Deo longum jam jam minuente dolorem,
Tristia de toto pectore cuncta fugat.
Tristis abest maror! coeunt demum alta doloris
Vulnera, divinæ quæ tetigère manus!
In *thalamos* pia virgo novos illecta secandos
En, properat castis ELISABETHA togis! A. C. 1668.

Hæc

Hec itidem dilecta *Viro*, dilecta tenellæ
Pubi; Etiam lecti limina prole beat.
Hinc securâ quies, hinc visa est meta malorum;
Tuta stetit ratis visa carina fuit!
Non cessat truculenta tamen *Mors* ferre ruinas,
Et turbare pijs gaudia nata thoris.
Jam fremit, & parili graditur velut ante, tumultu,
Connubii que truci fulmine pacta secat!
Octavum astriferum vix Sol peragraverat orbem,
Cum mortis rabie fœdera sancta ruunt!
Lex immota mori! *Conjux* decessit amata, *A. C. 1676.*
Obruiturque nigrâ *femina dulcè* humo! *d. 25. Sept.*
O lex dura nimis! Geminatâ clade malignâ
Perdiderant placidum ferrea fata senem!
Jam dubius, jam mente gemens, trepidusque *JODOCUS*
Schultius, ut sociæ bis spoliatur ope!
Jam langvent sævo præcordia pulsa dolore,
Nuncque miser nusquam corde vel ore valet!
Omnia sic pereunt; sic meta volubilis ævi
Imperat, & curtas sic jubet ire dies!
Vita brevis geritur! mors gaudia nostra profanat;
Cunctis lethiferas injicit atra manus!
Fertur in occiduum mundus: jam vivere tristis
Vita erit, & fallax funera mundus alit.
Vivimus immemores fati, sortisque futuræ;
Cum juvat, incautos *mors* furibunda rapit!
Cumque ætate gravem (citò nec mala tanta fuere
Exantlata *Viro*) plaga suprema subit;
Immenso decreta Deo miseratio fecit,
Ne videat longas alba senecta cruces.
Permeat ut fulgens duodenum Luna per orbem
Conjugis à tumulo posteriore suæ;

Mem-

1677

Membra *Ejus* sensim morbo depasta ruebant,
Et rigidum letho deniq; corpus erat.
Consultur Medicus, nec spes fuit ulla superstes;
Scilicet in mortem nil medicina potest!
In Domino moritur vitâ saturatus & annis; A. C. 1677.
Ossaque perpetuo tacta sopore cubant. d. 28. Oct.
Lustra decem vixit, duodenos insuper annos,
Dum *Climacteris* perfidus ordo necat.
Corpus inoffensum reperit cathedrale sepulchrum d. 9. Dec.
Abodiæ, digno busta sacrata seni.
Terra tegit cineres; animus requiescit Olympo,
Exultans trini plaudit amore Dei!

Ἀποστοφή,

Authoris ad Defunctum.

TU, cui caelestes referantur morte penates,
Ingredere Angelicos, sancte *JODOCE*, choros!
Incola siderei transvede per atria cali,
Innocuas mentes inter amenus ova!
Incola *Calitibus* vitâ sociate perenni,
Ambrosiâ fruior *Nectareâ*que dape!
Vive, vale superis; celebratus vivito terris,
Stat *Tua* dum calamo vita notata rudi.
Vos, quibus est propior *Defuncti* cura *Beati*,
Officium placidè suscipitote meum!

Quere-

Querela filiorum Vthi en kore

Sång fattat.

^{1.}
Ingen Frögd är på Jorden här ;
Ther wij råsligh begrunde
Then Nödd/Sorg/Nödd och Besvär
Och ängzlar alla Stunde:
Kriugh och Tumult här höres fullt/
Allt fring om Werlden wijsda ;
Ty må man ängest lijda!

^{2.}
Sämmmer öfwer Sämmmer all
Vthi vårt Foster Lande!
Thet lijder Nödd/ ja/ hotar Fall/
Både til Siö och Strande:
Doch är then Nödd aff Döden snödd/
Som närmer sig tillsträcker!..
Och hierat sönderbräcker.

^{3.}
Så gör stoort Wee wår Fader får/
Genom Döden bortflychter:
Ingen för oss mehr Ömsorg bår/
Och hielper och omrychter:
Then som war huld är lagd i Muld/
Then moot oss i all tijder/
Sigh wijsste mild och blyder.

^{4.}
Het är förwist hoos oss stoort Grååt/
En nyligt jämlikt hördes:
Wår Moortåar wäckte samma Lååt/
Zå hon på Båren fördes:

b

Ach



1677

24
Och tröste Gudh/ tin Lagh och Budh/
At wij försumligh hållit/
Hafwer thet Onnda wällit!

5.
S Nart går sin foos then Frögd och Lust/
Menniskiors Barn mond' hafwa/
Dm wändes vthi Sorg och Pust/
Til thes man läggs i Grafwa:
Hoo är then Man sigh råsligh kan
Uff Wälgången berömma/
Och sigh lycksaligh dömma?

6.
C Hristus thet alt långt för vth spädt/
Om werldzens sijdsta ånda;
Lå Menniskior nas Glädie brädt/
Skal til skoor Sorg sigh wända:
O Christen Siäl/ beredh tigh wäl
Moot Werlden manligt strida/
Och Herrans Doom förbjda.

7.
H Vad hielper doch sigh sänra mehr?
För Synnden thetta händer;
Men Gudh sin Nådhy wist of beteer/
Och til wårt Bästa wänder;
När så går til/ Gudh skilia wil
Fran of Wännerna bäste/
Wårt frogna Hägn och Näste.

8.
W Thur werdennes Onska swär/
Attu wår Fader tagen/
Ehwad of illa/ tigh wäl-går;
Saligh war tigh then Dagen!

Men wil måste thet Ondå see/
Då öfwer Hufvudt hänger/
På alla Sidor trånger.

9.

Låt oss doch Gudh en fälla Modh/
Eller på tin Nådhs fela!
War tu oss för en Fader godh/
Förbind vår Sår och heela!
Ty tin Hielp är fierran och när
Tå Jordist Hielp försvinner/
Tin Nådhs sigt så infinner.

10.

Låt ett Valet, sahr wål/ Farfår!
Far wål/ Skäre Fader!
Tin Siäl har Frögd bland Himmels Håår/
Ther tigh när Gudi glader/
Bland Angla-Gudh/ i heligh Skrudh/
Barn/ Slåcht/ Wänner tilsamman/
Tgen finna medh Gamman.

Ad Viatorem.

Siste gradum properans tumulum transire, Viator,
Sculpta sepulcreto carmina pauca lege!
E madidis oculis lacrimas effundito largas,
Queque manent homines, aspera fata vide!
Qui capit hic requiem, fuit, ac Tu, corde animoque
Pervegetus, valido corpore robur erat.
Sed Mortis rabies & inexorabile fatum
Mutarant tristi gaudia leta rogo.

Mun-



1677

Mundo equidem variis bellisque minisque strepente,
Evastit fausta tanta pericla nece.
Scilicet, alma Dei cura est, dum turba malorum
Circumstant, animas eripuisse pias.
Exemplar viguit verae pietatis amandum;
Propterea in caelo perpete mente viget.
Gloria majorum, generis spes, atque nepotum
Non poterant tantum destituisse Virum.
Hic virtutis erat, nobis dum vixerat, omnis
Cultor percelebris, deliciaeque mera.
Hic mandata Dei, sancto concredita verbo,
Devotè studuit corde calente sequi.
Semper Ei candor, vultusque modestia, dictis
Rara fides, prisca simplicitatis amor.
Jamque animi probitas etiamque benigna voluntas,
Certabant; dubium, vinceret utra, fuit.
Pacifcus fugit certamina, jurgia, lites;
Invidiae exoptans posse carere minis.
Lubrica contempsit malefidi gaudia mundi,
Mente per aethereas transvigilante plagas.
Totus erat pietas, candor, probitasque fidesque
Ingenuæ stirpis pulchra corona suæ.
Sic vixit, Peregrine, sibi, vixitque futura
Vita, ubi jam lætus júbila sancta canit!
Tu pariter, radiet modo sic tua vita, beatus
Nomina consequeris tanta, Viator! Abi!

